DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
EMETICORUM EFFECTIBUS IN CORPORE HUMANO.

QUAM
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
D. BERNARDI SIEGFRIED ALBINI,
MEDICINAE DOCTORIS, ANATOMES, ET CHIRURGIAE IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA PROFESSORIS ORDINARII.
NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*
& *Nobiliſſimae* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS
Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè conſequendis,
Eruditorum Examini ſubmittit.

FRANCISCUS PHILIPPUS DUVAL, Alenconius.

Ad diem 25 Octobr. 1726. hora locoque ſolitis.



LUGD. BAT. Apud JOAN & HERM. VERBEEK.

R Blokhuysen Fecit

DISSETATIO MEDICA INAUGURALIS, DE EMETICORUM EFFECTIBUS IN CORPORE HUMANO.

I.

Cum Emeticorum effectus examinare in hac preſenti diſſertatione mihi propoſuerim, quales ſint in corpore ſano & adulto tantum exponam; infinitum enim foret quid in diverſis & ſingulis morborum ſpeciebus efficiant inquirere & recitare: neque difficile erit Medico ex ſimul comparatis illis effectibus in ſano, cum præſentis morbi cauſa & ſtatu concludere utrum plus ſolatii quam damni ex illis excitatis ſperare debeat.

Conabor itaque ex generali Vomitoriorum definitione, mutationumque quas in corpore humano inducunt brevi & experimentis nixâ deſcriptione, regulas eruere certas, quibus in iis adhibendis vel reſpuendis

niti poſſit Medicus, qui ſi naturae judiciis obtemperare quam ſectarum commentis abripi mavult, neque ægros in vitæ diſcrimen aliaque pericula conjiciet nimio & intempeſtivo Emeticorum uſu, neque hujus remedii opem, ubi ſalutaris eſſe poteſt, pertinaciter & quaſi ſacramento adſtrictus ipſis denegabit.

II.

Emeticum eſt medicamentum quo in ventriculum delato cietur vomitus. Fateor excitari aliquando vomitum, & quidem ex arte, nihil in ventriculum ingerendo, V. C. irritata gula penna ſicca vel oleo madida, Epithemate ſcrobiculo cordis & ventriculi regioni applicato, clyſmatibus quoque in iis quibus valvula Tulpiana laxa admodum ſinit ea uſque in inteſtina tenuia & ventriculum aſcendere, quin & oblata rei idea quæ nauſeam & vomitum olim fecit, vectione in rheda vel navi inaſſueta, aliiſque multis a ſingulari temperie hominum quorumdam pendentibus, cujus exemplum ſatis peculiare legi poteſt in *Ephemer. German. dec.* 3. *ann.* 3. *obſ.* 182. *p.* 317. viri ſcilicet in quo muſica ſuaviſſima, quæ alias inordinatos ſpirituum motus compeſcere ſolet, vomitus cauſa evadebat ſtatim atque ab ipſo audiebatur.

III.

Sed quia ſi irritationem faucium & æſophagi exceperis, quæ ad facilitandum vomitum in auxilium quandoque advocatur, raro in praxi uſurpentur illæ vomitum ciendi viæ quas in definitione noſtra non comprehendi diximus, tum propter earum difficilem uſum, tum nimiam in ſingulari & nunquam fere occurrente idioſyncraſia dependentiam; eas in vomitoriorum cen-

ſum

ſum inſerere non duxi neceſſarium.

IV.

Unde vero petantur hæc medicamenta, quibus modis ea Chemia & Pharmacia præparet in uſus medicos, virtutes ſingulares omnium, doſeſque & formulas quibus propinari debent in eventum propoſitum, hic enarrare non aggrediar, ne in nimiam molem excreſceret hæc diſſertatio, ſufficietque mihi effectus eorum maxime generales exponere, qui ab omnibus cujuſcunque generis & quocunque modo exhibitis exſpectantur; horum quotquot ſunt princeps aliorumque cauſa eſt vomitus, qui aliquando ſubito, aliquando lentius ſemper tamen ab ingeſto Emetico ſequitur, ſi corpus ſanum ut ſupponimus & adultum, neque aliud repugnet.

V.

Habet Vomitus præcedentem fere ſemper nauſeam, quæ nihil aliud eſt quam irritus vomendi conatus cum idea horroris, qui brevi in ipſum vomitum abit, gradu tantum ab ipſo differt, eaſdemque agnoſcit cauſas ſed leviores. BOERRHAAVII *inſtitut*. 809. SYLVII *prax. Med. append. tract*. 2. *paragr*. 77.

VI.

Vomitus definitur, eorum quæ œſophago, vel ventriculo hæſere violenta per os expulſio.

VII.

Materies vomitu rejecta non ſemper e ventriculo prodit, ſed accidit etiam ut tubum œſophagi non tranſiverit; ſive illa ſit ex humoribus in œſophago naturaliter ſecretis, ſive ex externis deglutitis corporibus, quæ nondum in ventriculi cavum pervenere. In hoc duplici caſu hujus expulſionis cauſa proxima ſita eſt in convulſione ſucceſſivâ ab inferioribus ad ſuperiora fi-

brarum muſcularium faucium & œſophagi. BOERH. *inſt.* 809. ſi illæ fibræ ſtimulantur in contractionem retrogradam, quod fit quoties cauſa irritans vel alias partes œſophago contiguas, ut palatum, uvulam tonſillas laringem, aſperam arteriam, & ventriculum laceſcit, WILLIS. *Pharm. rat. ſect.* 3. *cap.* 1. vel ipſis oeſophagi fibris applicatur, V. C. ſi digitis vel penna fauces titillantur, aut boli mole premuntur & acrimonia læduntur; quemadmodum contingebat in illo Oxonienſi, de quo WILLIS eodem loco, qui propter ventriculi ſiniſtrum orificium prope clauſum, oeſophago ad fauces uſque repleto nihilo in ventriculum illabente ingeſta quæque cruda regerebat.

VIII.

Quod ſi, ut plerumque fit, vomitus eſt ventriculo contentorum, pro cauſa proxima & immediata agnoſcit arctationem cavitatis ventriculi talem, ut materies intus contenta cogatur per orificium ſuperius prorumpere in oeſophagum & ex eo in os.

Quid autem hanc operetur arctationem ideo inter Medicos ambigitur, quod plures cauſæ ſeparatim aliquando, aliquando ſimul agentes ad eam efficiendam concurrant. Hinc tres vomitûs ſpecies à cauſarum ſuarum diverſitate diſtingui debent; quarum prior eſt ea quæ fit a contractione ſpasmodica retrograda fibrarum muſcularium ventriculi; ſecunda a diaphragmate muſculisque abdominalibus ſimul convulſis & ventriculum interpoſitum valide prementibus & exprimentibus; tertia denique pendet a primæ & ſecundæ cauſis ſimul agentibus, eſtque omnium violentiſſima.

IX.

I X.

Primo itaque ſtatuo vomitum cieri a ſpasmodica & retrograda contractione fibrarum muſcularium ventriculi.

Spasmus ſive convulſio duplex eſſe mihi videtur pro duplici motuum genere qui in corpore humano exercentur, quorum alii a voluntatis imperio pendent, alii abſque illius conſenſu peraguntur. Qui poſteriores dividuntur in vitales & naturalium quosdam, dum priores animales audiunt; muſculorum animalibus motibus exercendis deſtinatorum convulſio optime definitur invita, violenta, alterne repetens eorumdem contractio; ſed patet quod eadem muſculis aliis motibus inſervientibus non conveniat definitio, quamvis enim inteſtina tenuia fortiter & alterne, invito homine contrahi pergant, convulſione hæc laborare nemo tamen arbitratur, quia illa contractio ipſis naturalis nunquam deſinit donec vita ſupereſt, vocaturque motus periſtalticus. Convulſionem ergo muſculorum quorum actio voluntati non ſubjicitur definiemus, violentam & inordinatam horum contractionem, quippe quæ fiat contra ordinem requiſitum ad vitam & ſanitatem.

X.

Ille inordinatus fibrarum ventriculi motus & ſimul violentus plus minusve, contenta verſus ſiniſtrum orificium ventriculi determinat; namque naturaliter contrahuntur ſucceſſive motu vermiculari illi muſculi, neque tamen aliquid, præter flatus interdum, per ſtomachum clauſum protrudere valent, quin imo verſus pylorum cuncta pellunt; quia ſcilicet eorum actio ſucceſſiva incipit à ſtomacho, pergitque lente verſus

dex-

dextrum orificium apertum, præſertim ventriculo modice repleto.

X I.

Dixi ſtomachum naturaliter clauſum, & quidem ſphinctere ſuo proprio & carne ſuperiori muſculi inferioris diaphragmatis, ſphincteris ibi quoque vicem fungentis, BOERH. *inſt.* 75. qui aperiri in vomitu debet. Qua ratione hoc fiat in hac prima vomitus ſpecie videtur prima fronte ſatis difficile intelligendum, habita ratione tenuitatis fibrarum ventriculi & hujus duplicis ſphincteris vis & molis, quæ tamen à prioribus debent ſuperari. Sed quemadmodum in deglutitione fibræ oeſophagi longitudinales ſupra bolum deglutiendum, tanquam ſupra hypomoclion contractæ, os ventriculi ſuperius reſerare valent, eodem modo fibræ ventriculi, quæ undique perpendiculariter fibris circularibus ſphincteris inſeruntur, contenta verſus eundem fortiter premendo, & ſimul ſupra ea, quæ tanquam corpus durum undique preſſa reſiſtunt, ſe contrahendo eum aperiunt.

X I I.

Hoc ita ſe habere facile credo omnes concederent, ſi ſemper & conſtanti lege cederet huic actioni ventriculi oris ſuperioris ſphincter; ſed contra ſæpe fit ut pertinaciter clauſus maneat, cum tanta eſt irritatio ut omnes ſimul convellantur ventriculi muſculi, unde & ipſe ſpaſmodice conſtringitur; vel tanta diſtentio ut fibræ validæ (WILLIS. *Pharm. rat. T.* 3.) quæ pylorum & os ſiniſtrum amplexæ, uniuntur in parte inter utrumque poſita quæ dorſum dicitur, valde diſtractæ, os utrumque ad ſe adducendo & arctando augeant naturalem gulæ conſtrictionem.

XIII.

XIII.

Non ſuperatur ergo ſphincteris illius vis, niſi illis fibris per dorſum excurrentibus non agentibus, non ſuperatur quoque ſi ſe contrahat vi ſuperadditâ: duplicem enim in muſculis agnoſco, quarum una ab elaſticitate fibrarum communi corporis noſtri pendet, qua elaſticitate fibræ ſi non diſciſſæ, ſemper ſe accurtare conantur, & artus noſtros ceſſante animali motu inflectunt certa ratione, hujus elaſticitatis vi ſphincteres noſtri corporis in diverſis partibus ſibi commiſſi & ſani clauſi ſunt, alteram autem, & quæ ab influxu liquidi ſubtiliſſimi multa ingentisque ponderis argumenta oriri arguunt, voco ſuperadditam; ſed cum illa ſuperaddita alterius innatæ robur & efficaciam immenſum ſuperet, hinc fit ut innata agens in maximo muſculo a ſuperaddita agente in minimo vincatur, quod advertitur evidenter in ſphinctere oculi, ſive muſculis utramque palpebram claudentibus & elevatore palpebræ ſuperioris. Et ex hac diverſitate contractionis muſcularis, patet ratio cur ſive in deglutitione, ſive in vomitu tam facile aperiatur ſtomachus.

XIV.

Contractionem fibrarum ventriculi retrogradam ſufficere ad ciendum vomitum directe & clare multis experimenris probatur a WEPFERO captis in vivis animalibus, quod ipſe diſertis verbis aſſerit *Cap.* 8°. *hiſtor. cicut. aquat.* ubi ſic loquitur „motum ventriculi oculis obſervare licet in vivarum beſtiarum anatome, & non ſemel vidi illum conſtringi lente verſus ſtomachum ſubſequente vomitu, aut verſus pylorum contentis in duodenum exploſis; nonunquam gra-

„ cilior & brevior reddebatur, mox iterum intumuit „ ſubſequente rurſus nova coarctatione, quæ vel verſus „ pylorum vel Stomachum progrediebatur.„ Singularia præterea deſcribit experimenta ex quibus ipſe concludit patere vomitum citra diaphragmatis opem peragi poſſe, unum brevitatis gratia inter plurima ſeligam quod legitur ejuſdem hiſtoriæ Capite 15°. ubi refert catellum cui ſemiſcrupulum Magiſterii Gialappæ propinaverat, diſſecto diaphragmate, & aperto abdomine ita ut contenta viſcera nuda oculis paterent, nihilominus ex ſola ventriculi conſtrictione a pyloro verſus os ſiniſtrum multum muci cum grumis evomuiſſe.

X V.

Hæc itaque ſola cauſa faciendo vomitui par erit, ſi irritatio lenis, & ventriculus modice repletus, nam ſi inanis fere, ipſius contractio, cum cavitatem omnem intra membranas abolere nequeat, ipſum evacuare omnino non valebit, ſi vero nimis diſtentus os ſuperius valide obſeratum (*par.* XII.) tali vi non cedet. In his caſibus ventriculus auxiliatricem diaphragmatis muſculorumque abdominalium opem advocabit, quæ membranarum continuatione, nervorumque, ab eâdem origine diſtributorum, cum ventriculo communicant, & de hujus affectibus facile participant, quapropter tunc horum maſculoſæ partes, quaſi per conſenſum in ſpasmodicam conſtrictionem raptæ, ventriculum interpoſitum præli inſtar tanta vi exprimient, ut materiam intus contentam omnem eliminent, & quidem ingenti cum impetu. Hoc non parum confirmatur experimento WEPFERI, quod legimus Capite 21°. Tractatus modo allegati, in cane captum, qui poſt vomitorium aſſumptum latere ſini-

ſiniſtro aperto, & ſic conſpicuo ventriculo vomebat, in hoc actu, inquit author, ventriculus non admodum contrahebatur, at diaphragma valde ſuccutiebatur, ac ſi illud cum muſculis abdominis vomitum plurimum promoveret.

XVI.

Sed illa preſſio diaphragmatis muſculorumque abdominalium in totum ventriculum agit, contentaque ejus verſus omnem partem æqualiter premit, tam verſus orificium inferius, quam verſus orificium ſuperius; nam in hac ſecunda vomitus ſpecie motus ventriculi inverſus materiem expellendam, occluſa in duodenum via & aperta in œſophagum, non determinat. Unde igitur evacuatur ventriculus potius per ſuperiora quam inferiora? Cum utrinque pateat. Reſpondeo quia convulſis diaphragmate abdominisque muſculis, ventriculus fortius undequaque ambientibus apprimitur, adeoque pylori contra hæpar preſſi omnis cavitas aboletur, quæ naturaliter fere nulla eſt ob anguſtiam quam ibi facit intra pylorum immiſſum duodenum, flexuſque ad angulum acutum verſus poſteriora ejuſdem duodeni e pyloro naſcentis, ex hoc ſitu & fabricâ eo plus clauditur pylorus quo premunt in ventriculum diaphragma & muſculi abdominales, ſimul vero aperitur os ſuperius, nam æſophagus poſt ortum a ventriculo per diaphragma tranſiens in parte ejus carnoſa, cingitur fibris muſcularibus in omni ambitu ſuo, quæ uno extremo ipſi diaphragmati inſeruntur tanquam puncto fixo, altero autem fibris circularibus gulam conſtringentibus, unde fit ut omnibus muſculis diaphragmatis ſpasmodice contractis, illæ quoque convellantur & quaſi tot radii a centro ad

circumferentiam œſophagi ſphincterem trahant, & vacuum ſic intra latera gulæ fiat, per quod expelluntur ventriculo contenta, hac ſola parte non preſſa.

XVII.

Accidit tamen aliquando ut ſpasmo tam violento utraque ventriculi orificia clauſa ſint, præſertim hoc ſupra modum diſtento (XII.) ut nulla vi aperiri queant, æger tunc anxietate intolerabili laborans, ex omni fere circulatione intercepta in inferioribus, conatur omni molimine hoc onere & hac ingenti compreſſione ſe vomitu liberare, at non felici ſemper cum ſucceſſu, nam in his irritis vomendi conatibus ipſe œſophagi tubus tranſverſim delaceratus eſt; hunc caſum paucis abhinc annis Clariſſimus BOERHAAVE præceptor meus colendiſſimus deſcripſit fidelitate & diligentia vere HIPPOCRATICIS, & cum orbe medico communicavit in elegantiſſimo libello cui titulus eſt *hiſtoria atrocis morbi non antea deſcripti*, ubi quomodo hoc phænomenon contigerit his verbis graphice narrat. *Quia vero infarctu turgidus, ventriculus, ſemper deorſum, atque antrorſum, agitur, utroque ſane modo fortiſſime omnem nixum impendit diaphragmati cui concrevit, atque Stomacho, cui producto connaſcitur. Protinus ergo anxio atque oppreſſo, a tanta aquæ copia, ſummi fuerunt tentati & adhibiti, at fruſtra diu, vomendi conatus. Sed in hoc fortiſſimo niſu, qui fit convulſo violente verſus inferiora ſepto, tenſus jam a tumente prius ventriculo, atque a gula intruſo faucibus digito ſurſum tracta, ſimulque irritata, ſtomachus dilaceratus extemplo videtur.* p. 55.

XVIII.

XVIII.

Quamvis hæc ita ſe habere ſatis ex anatomicis pateat, removendam tamen objectionem cenſeo, qua conantur hanc ſecundam vomitus ſpeciem non agnoſcendam probare. Dicunt ergo, parum vel nihil omnino ſeptum medium muſculique abdominales ad evacuandum ventriculum conferunt, nam licet ille ſit modice repletus, oraque ejus naturàliter tantum conſtricta, fruſtra quis vomere tentabit, licet fortiter ducendo animam ſeptum violenter deprimat, muſculoſque abdominales ſimul contrahat. Reſpondeo, præterquam in multis præſertim affluctis & bene paſtis hac ratione frequenter excitatur vomitus, & unusquiſque in ſe ipſo experiatur quod ſic inſpirando fortiter, & corpus incurvando, materies elaſtica quæ levior adeoque preſto eſt ad orificium ſuperius, plerumque in œſophagum aſcendat, contractio muſculi ſpasmodica naturalem quam immenſum ſuperet tam notum eſt ut exemplis hoc probare ſupervacaneum eſſet. Male ergo concluditur horum inſtrumentorum actione vomitum cieri non poſſe licet ſpasmodice convulſorum, ex eo quod in naturali ſua conſtrictione hunc efficere non ſemper valeant.

XIX.

Nunc ſi omnes hæ vires ſimul agant, ſpasmodica retrograda ventriculi conſtrictio, diaphragmatis muſculorumque abdominalium convulſio violenta, fiet tertia vomitus ſpecies, quæ ſatis facilis tolerabiliſque erit, ſi hæ cauſæ omnes non violentiſſimæ, ſeſeque invicem adjuvent in evacuando ventriculo, materia meabili non nimium repleto: aliter enim abit vomitus in choleras, hypercatharies, virium jacturam immanem, animi

deliquia, aliaque infauſtiſſima Symptomata.

X X.

Atque hæc de cauſis vomitûs proximis ſufficiant, quod ad remotiores attinet videntur nobis eſſe id omne, quod irritando muſculos evacuando ventriculo contractione ſuâ idoneos, vel facile convellenda viſcera, ſtimulat, BOERH. *aphoriſm.* 652. ſive illa cauſa irritans ipſis applicetur immediate, ſive partibus cum ipſis per nervos communicantibus. Sed quomodo ex illa irritatione ſequantur retrogradus ille motus in ventriculo & inteſtinis, tam violentæ convulſiones & ſpasmi in ſepto & muſculis abdominis qui ſæpe & multos alios infeſtant, facilius & tutius erit aſſignare mirabili corporis humani fabricæ *qua conditoris adoranda ſapientia cavit ut pro certiore tanquam arcis cuſtodia, quoties hoſtis externus ingrueret, aut inter proprios accolas ſeditio exoriretur, illico extra primos aditus, ſcilicet ventriculi porticem, hoſpites quicunque tanquam perſonæ ſuſpectæ ejicerentur.*, WILLIS *Pharmaceut. rat.* S. 2. C. 1.,

X X I.

Poſtquam vidimus quomodo per vomitum evacuatur ventriculus, ſequitur ut breviter ea quæ ex œſophago & ventriculo expelluntur examinemus. Horum tres claſſes conſtituam; prima erit externorum ſive crudorum, ſecunda eorum jam aſſimulatorum quæ naturaliter adſunt in ventriculo, tertia denique eorum quæ per vomitum ipſum ſive cauſas ejus proximas in ventriculum primo alliciuntur, & deinde iiſdem manentibus & auctis cauſis, ex eo eleminantur.

XXII.

XXII.

Prima claſſis vomitu rejectorum complectitur cibi, potus, medicamenti quidquid in ventriculo aut etiam œſophago nondum venas abſorbentes intravit, aut pylorum tranſivit, reliquias eorumdem in plicis tunicæ villoſæ nidulantes, quæ reliquiæ ob viſceris debilitatem ſingularem, aliarumque aſſimulantium cauſarum inertiam, moram ibi nimiam trahentes, diverſam pro ſua indole degenerationem patiuntur; fiuntque acres acidæ, alkaleſcentes, rancidæ, glutinoſæ &c. His ubi infeſtari ventriculum per ſua ſigna patet pathognomica ne augeantur continuo, & admixtu ſuo coctionem ciborum primam, poſtea non emendandam, perturbent, vel etiam humores ſanos corrumpant ſtatim idonei vomitorii ope ab iis liberandus eſt ventriculus.

XXIII.

Quanta eſſet & medentium & ægrorum felicitas, ſi talia adhiberentur medicamenta quæ ſanis intactis ſola morboſa & noxia in corpore mutarent, & e corpore abigerent! ſed, ſi pauciſſima ſpecifica dicta exceperis, pharmaca cætera indiſcriminatim in omnia agunt, quæ intra activitatis ſuæ ſphæram ponuntur, ſic ut morbos eorumque ſemina fugando, & debellando natura, quamvis idoneis adjuta auxiliis, vires corporis labefactare cogatur, ſubductis vel mutatis naturalibus ſuccis, ſolidiſque multum ſæpe læſis. Huic legi obnoxia Emetica per vomitum domeſticos & utiles œoſophagi & ventriculi humores ſimul cum peregrinis expellunt & noxiis, & hæc eſt ſecunda claſſis eorum quæ per vomitum rejiciuntur.

XXIV.

XXIV.

In quorum enumeratione ut ab œſophago incipiamus, vomitu abraditur ille unctuoſus humor qui tunicam illius villoſam obſidet, & emunguntur loculi tam manifeſti hunc humorem aſſervantes a glanduloſa fabrica confectum, emungantur pariter fines arteriæ oeſophageæ liquidum minus lentum recta ibi deponentes, qui humores ſimul permixti lubricam deglutiendis viam, fibrisque œſophagi flexibilitatem commodam præbent, BOERH. *inſt.* 75.

XXV.

Si ad ventriculum deſcendimus primo occurrit ſaliva, quæ quamvis alibi in glandulis ipſi ſecernendæ deſtinatis paretur, & emiſſariis earumdem in os fluat, copioſa tamen ſemper adeſt in ventriculo, nam aſſiduo deglutitur vel ſola, vel cibis miſta, &. tum præſertim jugi quaſi rivo depluit, osque irrigat dum nauſeâ laborat vomiturus, in hùnc finem ſcilicet ut facilior fiat vomitus, partibus hoc demulcente liquido lubricatis, & ut cauſa irritans aquoſo multo diſſoluta minus nocens evadat. Quantum ſaliva ſit ciborum coctioni utilis in phyſiologicis explicatur, & qùam gravibus morbis obnoxium fiat corpus ſi nimis ſaliva expuitur, docuit fidelis obſervatio experimentorum, hic optime cum theoria congruentium.

XXVI.

Alter humor naturalis ſemper ventriculo præſens, ibique ſecretus, eſt ille qui gaſtricus proprie dicitur; ille continuo fluore ab ultimis arteriæ Epigaſtricæ & trium adhuc ramorum a cæliaca ventriculum perreptantium abruptis finibus pluit in ejus cava, liquor tenuis,

nuis, pellucidus, ſpumoſus, ſpiritibus dives, & leviter ſalſus, (BOERH. *inſt.* 77.)

XXVII.

Ex nervorum extremitatibus in tunica villoſa evaneſcentibus aliquid ſpirituoſi vel ſubtiliſſimi humoris in ventriculi cavum adferri, probabile admodum videtur, ſi attendimus ad ingentem nervorum numerum qui hic deſtribuuntur ratione habita hujus viſceris molis, & motuum non maximorum quos edere conſuevit; neque male huic ſpirituum jacturæ ingenti debilitas & animi deliquia quæ vomitus exormes excipiunt, adſcribentur.

XXVIII.

Quartus tandem humor hic ab Anatomicis agnoſcitur, qui lentior, mucoſus, a glandulis ſecernitnr, folliculis harum colligitur, & per emiſſaria ex loculis in cavum ventriculi expreſſus, BOERH. *ibid.* adhæret tunicæ villoſæ firmiter, majori copiâ circa orificium ſuperius, ubi plura emiſſariorum ora obſervantur, & hanc tenerrimam interiorem tunicam defendit ille humor ab ingeſtorum injuriis; atque hoc linimentum vel ſimile in hunc finem natura appoſuit omnibus in locis qui ab actione externorum lædi poſſint, ut in pulmonibus, faucibus, œſophago, ventriculo, inteſtinis, pelvi, ureteribus, veſicâ, aliiſque. Hoc muco imprudenter deterſo, a nimia harum partium ſenſilitate dolor oritur ingens, aliaque ſymptomata multa.

XXIX.

Tertia claſſis eorum quæ vomitu rejiciuntur conſtituitur ex iis quæ per ipſum ſive cauſas ejus proximas in ventriculum primo alliciuntur, deinde iisdem cauſis

 auctis

auctis ex eo eliminantur; de ſaliva jam œſophagique humoribus egimus, nunc de aliis dicendum, quos eodem ordine recenſebo quo ſucceſſive pertracto vomitu ejuſque aucta violentiâ evacuari animadvertuntur.

XXX.

Itaque ſi nauſea vomitusque perſeverent, poſtquam ventriculus corporibus duarum priorum claſſium liberatus eſt, convulſio, ſive ille inordinatus motus, inteſtinis tenuibus communicatur, motumque periſtalticum mutat, quo fit ut inteſtina ſucceſſive verſus pylorum contracta huc premant materiem cavitate ſua contentam, & hinc in ventriculum facile; nulla enim valvula impedit, quin imo immiſſio duodeni celeriorem quidem alimentorum, nondum ſubactorum quantum in ventriculo ſubigi debent, cavet egreſſum, ſed ſimul favet huic etropulſui ex duodeno in ventriculum. Hac vi retropelletur in cavum ventriculi materies illa ſemi aſſimilata, quæ jam actionem oris ipſiusque ventriculi paſſa, hanc fiſtulam ingreſſa eſt, ut hujus fabrica, actione, & diverſorum humorum admiſtione eliciatur & exprimatur ab alimentis quidquid in nutrimentum corporis cedere poteſt.

XXXI.

Deinde bilis utraque cyſtica & hepatica humori pancreatico permiſtæ ex inteſtino in ventriculum, eadem pellente cauſa, regurgitant; notum eſt ex anatomicis quod in duodenum tres illi humores ex officinis ſuis per canales ſuos, bilis nempe per ductum communem, ſuccus vero pancreaticus per ductum ſuum peculiarem effundantur in uſus chylopoieſi neceſſarios, quos hic recenſere non ſinit diſſertationis hujus propoſitum. Habent quoque inteſtina tenuia ſua liquida, iis

quæ

quæ a ventriculo confici diximus valde ſimilia, nec minus ipſis deffendendis quam crudis aſſimulandis inſenventia. Unde ab his perditis tam patiuntur inteſtina totumque corpus, quam ventriculus ubi ſuis ſanis & naturalibus humoribus privatur.

XXXII.

Quin etiam viſa ſunt excrementa, non obſtante valvulâ quæ craſſa a tenuibus inteſtinis ſeparat, per totum hunc tractum aſcendere atque vomitu rejici, qui morbus ileus vocatur. Quod ex duplici cauſa accidere poteſt, vel quia verſus anum occluſa viâ fæces accumulatæ & acres factæ, vel alia cauſa irritans, inteſtina in motus inordinatos ſtimulant, ambientesque muſculos in ſpasmos violentiſſimos, quorum unitis viribus verſus ventriculum pelluntur excrementa, & valvulam Tulpii aliasque reſiſtentias hoc impetu ſuperant; vel quia ſeptum illud fæces ab inteſtinis tenuibus arcens, tam laxum & debile factum eſt, ut eas verſus inferiora non determinet, unde regurgitant facile in inteſtina tenuia, quæ ſtatim huic acrimoniæ ferendæ imparia convelluntur, materiem verſus ventriculum pellunt, ubi hæc eaſdem convulſiones parit, quibus tandem foras expelluntur excrementa.

XXXIII.

Præter has evacuationes plurimæ adhuc mutationes ab Emeticorum actione fiunt in corpore humano, quarum præcipuas & maxime generales jam conabor exponere.

Non tantum abdomen continet ventriculum & inteſtinorum fiſtulam: ſed etiam multa alia viſcera quæ motibus violentis & preſſionibus quibus cietur vomitus ſe-

cundæ & tertiæ ſpeciei exponuntur, & cum mollia & flexilia ſint, non poſſunt quin ab iiſdem valide mutentur, vidimus quid fiat in œſophago ventriculo & inteſtinis quoad ea corpora ſive fluida ſive dura, quæ eorum cavitate continentur, in eam fluunt naturaliter, & premuntur a cauſis vomitus proximis, nunc quid in eorum ſubſtantia aliorumque viſcerum in abdomine contentorum mutetur examinandum.

XXXIV.

Viſcera hæc cuncta injectiones docuere vaſis ſanguineis, humoresque a ſanguine derivatos vehentibus irrigari, eorumque molem totam vaſculis conſtare; ex illis viſceribus quædam muſculis gaudent valide agentibus, ut ventriculus & inteſtina, alia vero hepar, lien, pancreas, omentum, meſenterium, renes quamvis nervis abunde donata ſint, fibriſque muſcularibus non omnino deſtituantur, cum earum uſus in multis nos lateat, in aliis ad preſens negotium non pertineat, ideo ea tanquam vaſculoſa tantum conſiderabimus; & videbimus primo quomodo a cauſis vomitus afficiantur ea quæ muſculoſa ſunt.

XXXV.

Convelluntur valide, in vomitûs ſaltem prima & tertia ſpecie, ventriculus & inteſtina; ſed omnis muſculus contractus pallet, patet ad oculum ſi vivi animalis thorace aperto cor pulſans examinatur; nam cum omnis rubedo muſculi ſit a ſanguine membranas arteriarum minimarum pallidas colorante, fibræ muſculares arteriolas in omni puncto corporis muſculi diſperſas contractione ſua comprimunt & arctant, ſanguinemque ſuum rubrum cogunt exprimere. Qui ſanguis partim ver-

verſus majores ramos, ubi minor reſiſtentia, partim verſus venas arteriolasque minores & laterales pellitur; venarum quoque huic preſſioni expoſitus cruor ex anguſtiis minimarum ab arteriis naſcentium in ramos latiores acceleratus fluit, eo facilius quod venæ majores in ſuperficie muſculorum locentur plerumque, unde a contracto muſculo minus quam arteriæ comprimuntur. Ceſſante nunc muſculi contractione trunci arteriarum a ſanguine retropulſo turgidi & diſtenti fortius ſe contrahent, ſanguinemque majori cum impetu in venas ſibi reſpondentes pellent, illæ enim venæ jam ſunt fere vacuæ adeoque minime reſiſtentes, unde citatior & expeditior ſanguinis circulus. Ex hac ſola muſculari contractione, in primâ vomitûs ſpecie, liquores arteriis & venis œſophagi, ventriculi, inteſtinorum circulantes, ſubigentur & celerius movebuntur ab his vaſorum preſſione & relaxatione alternis, quibus ſi accedat ſepti transverſi muſculorumque abdominalium actio tanto magis attenuabitur ſanguis, & celerius abſolvet circuitum ſuum.

XXXVI.

Sanguis per viſcera alia abdominis actus movetur quidem velocitate a corde acceptâ, Sed vi reſpirationis maxime indiget ut per hepar, lienem, meſenterium, omentum expedite ad cor redeat. Ad hunc circuitum promovendum immediate nihil aliud reſpiratio confert quam alternam preſſionem diaphragmatis muſculorumque abdominalium, quibus aſſiduo agentibus vaſa viſcerum abdominalium comprimuntur, roborantur, & liquores iis contenti ſtagnare impediuntur. In vomitus vero ſecunda & tertia ſpecie arctatio totius abdominis, adeoque

omnium contentorum primo ingens ſequitur ex convulſis ſimul ambientibus muſculis, ergo idem fiet in liquoribus viſcerum non muſculoſorum ab illis cauſis vomitus, quod in aliis a contractione ſuorum muſculorum, Id eſt celerior motus liquidorum, & incipientium obſtructionum reſolutio. præterea muſculi ſeptumque arctando abdominis cavum, totam viſcerum molem contra deſcendentes aortam & cavam apprimunt, illæ enim per totam poſticam abdominis partem decurrunt, & a tenui peritoneo tantum verſus interiora deffenduntur, & a parte averſa duris vertebris accumbunt, & ſic ſitu ſuo huic exponuntur preſſioni, per quam ſanguis in utroque illo vaſe contentus verſus cor pellitur.

XXXVII.

Quod ſi ultra modum hæ comprimentes vaſa, & motum ſanguinis promoventes cauſæ agant, in multa & gravia pericula ſanitatem vitamque ipſam conjicient. Namque hac nimia compeſſione vaſa vi adacto liquido infarcta, ita dilatabuntur in extremis ſuis a diſtendente humore ut retinenda emittant, vel vaſorum membranæ in cohæſione diſſolvantur, & ſic interſtitiis factis elabantur humores continendi, & hinc ſanguinis puri arterioſi vomitus & dejectiones, ſive ruptis vaſis in ventriculo & inteſtinis, vel viſceribus in ea ſe evacuantibus; ſive per anaſtomoſim purus putus ſanguis arteriolis, liquidum multo ſubtilius ſecernentibus, nunc ipſis dilatatis in cavum ventriculi & inteſtinorum evomatur. Aut etiam, liquidis intra vaſa manentibus, violentus ille motus partes ſanguinis craſſiores in vaſa lateralia quæ naturaliter præterlabuntur, adiget, quæ in illis vaſis obſtructiones, non reſolubiles poſtea, parient.

XXXVIII.

XXXVIII.

Neque minus imminet periculum a ſubito & violento tantæ humorum molis verſus cor retropulſu, ſive per venas ſive per arterias, obruetur enim venoſo ſanguine, multo majori ſolito copiâ ex vena cava & ſinu venoſo in ventriculum dextrum ſubito depluente, neque ſe evacuare poterit ſanguine a pulmonibus accepto ventriculus ſiniſter, propter nimiam quam inveniet in aorta reſiſtentiam, nam ſanguine turget per ramos majores ſuos, venas factos, retropulſo; hinc metus eſt, ne in convulſiones, palpitationes dictas, incidat cor; quin ſi adhuc liquidum ſuum expellere valet, pulmo jam periclitatur a nimia ſanguinis quantitate quam una vice accipit, unde facile diſtentio & ruptura tenerrimorum ipſius vaſorum ſequi poteſt. Sanguis vero a corde ſiniſtro expulſus, cum ipſi aortæ deſcendentis via fere occluſa ſit per compreſſionem iſtius tubi in abdomine, (XXXVI.) ſubclaviarum carotidumque cavum, liberum fere, omnis ingredietur, fereturque ad cerebrum, copia & impetu ſolito majoribus; ſed cerebri vaſa nulla elaſticitate donantur qua impetum hunc reprimere poſſint, unde diſtentio immanis ramorum majorum, quæ intra cranium durum & non cedens contingere nequit, ſine minorum & teneriorum vaſorum compreſſione; & tandem ruptura dilatatorum & effuſio contentorum; ex quibus morbi multi & graviſſimi oriri poſſunt, & mors ipſa ſubitanea.

XXXIX.

Præter hæc incommoda quæ a cauſis vomitus validius agentibus naſcuntur, aliud non mediocre accidit ex eo quod ſanguis e viſceribus abdominis redux, antequam

in

in cavam infundatur, per venam portarum arterioſus iterum factus, jecoris ſubſtantiam, vaſorumque anguſtias cogatur permeare ad bilem utramque conficiendam, in quas anguſtias ſi violentur incurrat, non minor obſtructionum, & vaſorum, ibi quoque maxime friabilium, rupturæ metus eſt quam in pulmone vel cerebro; ſi attendimus ad infinitas fere reſiſtentias quæ tranſitum ſanguinis in hoc viſcere retardant & impediunt, teneritudinem & ſubtilitatem vaſorum tomentoſam omnem imaginationis vim ſuperantem, & inflexiones diviſionesque arteriolarum, quarum craſſiſſimæ repletæ inextricabiles anfractus & labyrinthos formare videntur; ex his omnibus rite perpenſis dira ſemper ſymptomata vomitum ſecundæ & tertiæ ſpeciei ſecutura apparet, quod tamen cum experientiæ repugnet, qua vomitus ſæpe cieri violentiſſimos conſtat illæſo hepate, confirmatur id quod ſupra diximus, ſanguinis abdominis magnam partem preſſione muſculorum contractorum per arterias venas factas verſus cor retropelli, ſicque multum minui molem quæ in hepar per venam portarum adigitur. Denique omnis hic evaneſcit difficultas ſi conſtanti naturæ lege adſunt in meſenterio venæ plures valde inſignes quæ recta in cavam ſanguinem ſuum ferunt; has nuper a Clariſſ. RUYSCHIO detectas mihi relatum fuit ab amico in anatomicis verſatiſſimo, cui in ædibus ſuis vir Clariſſimus conſpiciendam tradidit meſenterii portionem, cum parte annexa cavæ deſcendentis, materia ceracea infarctam; in hac præparatione apparebant illæ venæ in cavam tendentes & apertæ, quarum reptatus valde differt ab earum reptatu quæ e Meſenterio ad venam portarum ſanguinem

ve-

vehunt; illæ novæ ſub antiquis decurrunt, unde forte hactenus prætervisæ, oriunturque ab arteriis Meſeraicis multum antequam ad inteſtina pertingant. Harum autem uſus eſſet in valida viſcerum abdominis compreſſione, impendire ne hepar copia ſanguinis nimia obruatur, multum hujus in cavam vehendo & ſic ab hepate abducendo.

XL.

Conſtant viſcera non tantum arteriis & venis, ſed & aliis vaſis quæ ſunt folliculi, cryptæ, ſecernentia & excretoria vaſa, arteriæ exhalantes, venæ inhalantes; quasnam mutationes a cauſis vomitûs patiantur tam in membranis ſuis quam iis contentis humoribus reſtat inquirendum. Folliculi, cryphtæ vel & pori in viſceribus occurrentes qui materiem ſecretam & extra circulationem poſitam continent, locantur in œſophago, ventriculo, inteſtinis, inframembranam muſcularem, in aliis viſceribus ſepti muſculorumque abdomalium preſſioni exponuntur, cum infra hæc poſiti ſint in abdomine, ergo muſculis his ſe contrahentibus & folliculos ſua contractione prementibus, manifeſtum eſt quod folliculi illi debeant ſe evacuare per ſua excretoria vaſa, & novis ſuccis recipiendis in vacuis jam ſuis cavis apti evadant, qui ſucci per vaſa, copioſi afferentur, ibique deponentur: tum quia, aucta ut vidimus circulatione, major fluidi quantitas ad organa ſecretionis perveniet, tum quia humori novo affluenti nihil obſtat; nam materia prius in folliculo hærens, illum replens, & forte lentore ſuo quæ ora vaſculorum ſecernentium obſtruebat, deterſa & expulſa eſt, hinc ſecretiones omnes augebuntur ex viſceri-

ſceribus abdominis ſive recta ab arteriis fiant, ſive folliculo interpoſito, & fiet repurgatio organorum horum omnium maxime utilis, ſi lenta tenacique materia obſita prius, muneribus ſuis abeundis minus prompta erant.

X L I.

Ex his patet quid arteriæ exhalentes venæque inhalantes patiantur in hac preſſione & concuſſione; priores continuo recipiunt humores magis magiſque attenuatos, & ingenti velocitate actos, quos arteriæ propellunt iterum vi membranarum ſuarum elaſticâ, & muſculorum prementium ſpasmodica contractione: fieri ergo nequit quin per aperta ſua extrema multum horum dimittant & exhalent, non ſolum in interioribus, verum etiam in tota corporis ſuperficie externa, unde perſpiratio & ipſe ſudor valde promoventur.

Venæ vero ad inhalandum & humores extravaſatos reſorbendos ſic optime diſponuntur; quod enim humores ſtagnare extravaſatos facit, impeditque ora venarum reſorbentium ingredi, per vomitûs cauſas proximas vel cavetur futurum, vel præſens diſſipatur; ſtagnant illi humores ſi per moram, calorem nimium, vel frigus lenteſcentes & cohærentes illorum particulæ, in moleculas majores concreſcunt, quam quæ poſſint his venulis recipi, vel ſi venæ ipſæ inerti materia obſtructæ ingreſſum renuunt reſorbendo liquido, Sed per vomitum huic utroque malo efficaciſſime medetur, *nam per eum ſolvuntur cuncta tenacia, concutiuntur obſtructa, expelluntur ſtagnantia.* (BOERH. *aphoriſm.* 1244.)

XLII.

XLII.

Vomitûs cauſis proximis effectibusque maxime generalibus ſic expoſitis, patet primo, quod hunc exitare in corpore neque ſit parvi momenti aut indifferens, ſed contra nullum forte remedium adhiberi ex quo tam ſubitæ ingentesque totius corporis mutationes oriantur, unde in Emeticis adminiſtrandis ſumma prudentia & cautela opus eſt; quare & ad promiſſis ſatisfaciendum, mihi ſupereſt ut ex hac expoſitione regulas, tanquam Corollaria inde ſequantia, colligam, quæ ſingulis caſibus in praxi occurrentibus applicatæ, doceant quænam conditiones ſenſibiles vomitum in tali ægro celebrari permittant & poſtulent, quænam vero renuent: hæ conditiones dicuntur a practicis *permittentia*, *indicantia*, *contraindicantia*. Sed prima claſſis intelligetur facile ex contraindicantibus, cum nihil aliud ſit quam eorum abſentia, brevitas itaque poſtulat ut ab indicantibus incipiamus.

XLIII.

Primum indicans Emetici eſt nauſea vomitusque ſpontaneus, una cum magna ejus facilitate, unde axioma, vomitus vomitu curatur; quæ regula tunc tantum vera eſt quando vomitus excitatur a materie tali hærente in ventriculo, aliisque locis, ubi erritando vomitum exitare valet, ſive in iis locis fomitem ſuum habeat, ſive aliunde ad ea deferatur, quæ materies vomitu a ſede ſua expelli & abſtergi poteſt, & quidem ſine periculo. Unde tanto cum ſucceſſu vomitoria propinavit prudentiſſimus SYDENHAMUS, in initio harum febrium, quæ cum nauſea vomituque ſpontaneo ægros invadebant, quorum Emeticorum ope primæ viæ crudis & de-

generantibus liberantur tuto, lenta diſſolvuntur, & obſtructio vaſorum extremorum ſolvitur, quæ aliter, inflammationes, febres, diarrhæas, ſæpe difficulter compeſcendas, producerent.

X L I V.

Idem indicant matutina oris fæditas & amaror, quæ fæditas eſt ea membranæ oris extimæ villoſæ conditio qua apparet viſcoſo, lento & amaro humore obſita, atque ex colore ſuo naturali pulchre roſeo in pallidum, flavum, vel etiam nigrum mutata; talis vero conditio oritur ex eo quod liquores hanc membranam madefacientes & lubricantes, inſpiſſati & ſemi corrupti illius ſuperficiem poroſque obſideant, pro corruptionis gradu colorem extremorum vaſorum mutent, & ingrato amaroris ſenſu nervos guſtui ſervientes moleſtent; ſed cum hæc membrana continuata œſophagum ventriculumque intus inveſtiat, ex ventriculo labem hanc contraxiſſe facile judicatur, niſi in loco appareat mali origo. Illa enim fœditas, amarori conjuncta, notat cibos in debili ventriculo crudos diutius manſiſſe, & viſcoſos, putridos, æmorosque factos, deficientibus aliqua vel pluribus ad digeſtionem requiſitis conditionibus; eodem vitio affecta eſt a contactu & reſorbtu talis humoris membrana ventriculi interior. Namque ſanis poſt abſolutam, reficiente ſomno, ciborum coctionem, nulla fæditas oris, nullus amaror percipitur, niſi ab inediâ diu toleratâ.

X L V.

Ejuſdem læſæ coctionis, quæ ad ſui curationem, ſaltem incipiendam, emeticum poſtulat, ſignum eſt præterea ructus: qui definitur materiæ elaſticæ per ſuperio-

ra

ra exploſio. Si pro cauſa habet materiem putreſcentem vel fermentantem in ventriculo, quæ ut experimenta docuere incredibilem aeris, ſive materiæ elaſticæ quantitatem generat, vel ex ſe elabi ſinit, & ſimul acrimonia ſua œſophagi vel & ventriculi fibras muſculares ſpasmodice contrahit, quibus relaxatis materies illa elaſtica e clauſtris ſuis cum impetu & ſonitu erumpit. Aliter ructus non ſemper vomitorium indicant, ab alia cauſa naſcentes, quamvis crebri & ingentes, ut in hyppochondriacis & paſſione hyſterica loborantibus.

XLVI.

Morſus ventriculi qui ab acrimonia præſertim acida originem ducit, os ventriculi ſuperius corrodente, Emeticum quoque poſtulare videtur; illa enim acrimonia ab eadem coctione læſa fit, ſed acidorum vel aceſcentium, quæ in ventriculo retenta, calido ſemper dum vita ſupereſt, mora ſola, vel fermento in ipſo deliteſcente, ex aceſſentibus acida, ex acidis acria redduntur, & os ſuperius ventriculi moleſte afficiunt, quod exquiſiti ad modum ſenſus eſt, propter ingentem nervorum numerum quibus intertextis fere totum conſtat. Ergo antequam idoneis medicamentis oppugnetur fons & origo illius degenerationis, debet materies jam corrupta fermentumqne, ſi adeſt, eliminari: quod citius & tutius per ſuperiora fiet quam inferiora, ſi nihil obſtet.

XLVII.

Ablatio appetitûs lenta, absque ullo phænomenon ſuperius memoratarum, ſed cum ſenſu repletionis & ciborum faſtidio, nulla concomitante febre vel prægreſſâ, oriri videtur ab humoribus lentis & glutinoſis qui papillas nerveas ventriculi inviſcant, & earum ſenſum

obtundunt, ex quarum affrictu, vacuo ventriculo, moleſtia quædam percipitur, in qua famis bona pars conſiſtit; iners autem & petuitoſus ille humor ventriculum obſidet, ſi nervorum vel & minimarum arteriolarum exhalantium obſtructis & collapſis extremis, quemadmodum fit naturaliter in ſenio, non attenuati ſpiritibusque orbi fluunt per majora vaſa, quæ ſola pervia, liquores. Sed pariter & ad attenuationem humorum & ad deobſtructionem organorum ſecernentium conducunt Emetica, ergo & in hoc caſu adhiberi ea convenit.

XLVIII.

Hactenus de ſolis ventriculi affectibus egimus, ſed & in aliorum viſcerum abdomine contentorum morbis tuto & feliciter uſurpantur vomitoria, ſi ſtagnante & obſtruente lenta materie in farcta ſint illa viſcera, torpeſcente ſimul circuitu ſanguinis, ita ut inflammationis hujuſque ſequelarum nullus adſit metus; ſi præterea impactum adhuc mobile ſit & reſolubile, neque acre redditum, tunc enim ſpes eſt ut per motus violentos, preſſionesque, quibus humores a cauſis vomitûs agentibus, ex anguſtiis vaſorum in majores ramos retropelluntur, obſtructiones ſolvantur, & attenuentur ita humores ut libere poſtea per vaſa fluant. Ex his patet quod in hydrope aſcite, ſi recens ſit, viſceraque adhuc integra tam bene ſuccedant Emitica, *ſi fortia dantur, ſæpe repetantur, & ſine longa mora intermedia ſe mutuo exipiunt.* (BOERH, *aphoriſm.* 1245.) denique in omni morbo in quo fluiditas concilianda liquidis, vaſis meabilitas, ſtagnantibus exitus, præſertim ſi locus affectus ſit infra diaphragma poſitus, vel ſi ſit caco-

cochymia lenta univerſalis incipiens, neque aliud obſtet.

XLIX.

Quamvis ad pauca capita hæc indicantia reducta ſint, nemo tamen Patologiæ peritus quam multis in morbis & ſæpe occurrentibus locum habeant non videbit. Præter hæc generalia mille ſunt adhuc ſingularia quæ nunquam rite definieri & enumerari poſſunt; quippe quæ vel a natura morbi epidemici, vel idioſyncraſia ægri pendeant, multarum quoque circumſtantiarum comparatione & inter ſe compoſitione diverſâ, & maxime ex attenta conſideratione contraindicantium, quæ jam ſunt exponenda.

L.

Vomitûs contra indicantia ſunt primo, omnes phyſicæ conditiones contrariæ iis quas ſub indicantium nomine modo recenſui, ſed præterea merito iisdem additur debilitas a conſumptis longo morbo ægri viribus & langueſcentibus, ut in Phtiſicis, nam vomitus ſuperſtites adhuc diſſiparet: ægrumque imparem redderet non ſolum debellando præſenti morbo, ſed etiam vitam agendo; hanc debilitatem prudenter diſtinguere opus eſt ab oppreſſione virium, quæ ſæpe una cum anxietate poſt vomitum evaneſcit.

LI.

3°. Anni tempeſtas calidior vel & frigidior; quia calor nimius humidiora & ſubtiliora noſtrorum humorum diſſipando cætera cogit, & in maſſas inſolubiles adunat, unde valde imprudens eſt talia liquida violentiſſimo agitare motu, atque e locis ſuis in alia magis periculoſa transferre. Frigus ſummum ſanguinem & humo-

mores noſtros eodem fere modo mutat, ſed præter ea ſolida roborat, fibraſque maxime friabiles, ex rigiditate nimiâ, reddit. Si tunc quacunque de cauſa motus ingens oritur in corpore actio, ſolidi tanta eſt in liquida, & liquorum in ſolida ut ſit maxime metuenda dilaceratio eorumdem, vel ſi integra manent attenuatio nimia liquidi, perſpiratio, debilitas, animi deliquia, & aliquando mors ſubitanea.

L I I.

4°. Vetatur quibus valde laborioſus & difficilis eſt vomitus; ne ex repetitis ad vomendum irritis conaminibus, oriantur peſſima ſymptomata, ut rupturæ vaſorum, œſophagi, lypothymiæ, aliaque. Ex eadem ratione anguſtum thorax, collumque longum habentibus propinare vomitorium non licet, difficile enim vomunt ſic conformati, & in hæmoptyſin valde ſunt proclives.

L I I I.

5°. Vetatur Emeticum a plethora, cujus ſi ſigna adſint, poſtuletque vomitum aliud indicans, prudens Medicus ſemper V. S. præmittere debet, alioquin, ægrum ſuum in periculum conjiceret omnium graviſſimorum morborum, qui ab obſtructione & humorum extravaſatione infiniti ſequi poſſunt, in cerebro, pulmone, aliiſque viſceribus.

L I V.

6°. Ab inflammatione generali, vel topica ventriculi, inteſtinorum, partiumque ipſis vicinorum, quæ magis in vomitu agitantur aut convelluntur, nam præterquam immaniter dolet omnis pars inflammata muſculoſa ſi convellitur, & omnis vomitoriorum effectus convulſioni-

nibus peragatur; inflammationes cauſæ omnes per vomitus cauſas & effectus exacerbantur, & quæ reſolubilis forte ſi quiete & Anodynis tractata, in ſuppurationes, cancros & gangrænas abibit tanto motu in humoribus excitato. Unde iterum apparet falſitas regulæ quæ docet vomitum vomitu curari, nam plerumque inflammatis partibus abdomine contentis, vel & ipſi contiguis, vomitus cietur, non compeſcendus, niſi ſedata illa inflammatione V. S. aliiſque idoneis medicamentis. Patet quoque vulnus in iiſdem locis idem quod inflammatio indicare.

L V.

7°. Denique a ſchirro vel cancro in abdomine deliteſcentibus, aut & in alia parte corporis. Schirrus in interioribus præſens difficulter quidem cognoſcitur, hujus tamen ignoratio cum ſit valde periculoſa omni ope nitendum medico ut certus ſit de hujus præſentia vel abſentia; quam præcipue docet cognitio præcedentis non reſolutæ, in parte glanduloſâ, inflammationis, aut etiam ægri diſpoſitionis ad ſchirros generandos, quem ubi adeſſe ex iis cognitis ſuſpicamur, & præſenti gravitatis ſenſu in parte, ab omni irritante impetumque humorum augente caute abſtinendum, ne malum hoc ex ſe tolerabile ſi non attingitur, in cancrum furentem & apertum mutetur. Sed quam horrenda ſymptomata ſequantur ſi cancer Emeticis aliiſque acribus & valde moventibus vexetur, quis ignorat? inter ea ſymptomata tantæ ſæpe hæmorrhagiæ, ruptis arteriis, excitantur, ut mors ſola eas ſiſtere valeat, felici & optando quidem tam miſere vitam agentibus eventu, ſed quem percurare Medico nefas eſt.

Hæc ſunt ad quæ attendere debet Medicus in Emeticis in praxi adhibendis, & in hoc prudenti & caſto circumſtantiarum examine ſita eſt Empirici verique Medici diverſitas, *illi enim omnes promiſcue pari curant ratione, hi vero pro ægrorum diverſitate curam inſtituunt diverſam, & non raro abſtinent a Medicamentis utilibus ubi inepta ſunt illis ferendis corpora. Unde pro Empiricis, non dogmaticis habendi quotquot ægris promiſcue omnibus & ſingulis vomitoria exhibent.* (SYLVII *prax. med. appendix. Tract.* 8°. *p.* 159.)

FINIS.